



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Titulus XII. Os.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

sum tendit, deorsum lapis: ponderibus suis aguntur, loca sua petunt: oleum infra aquam solum supra aquam attollitur; aqua super oleum sula infra oleum demergitur. Minus ordinata inquieta sunt; ordinantur, & quiescunt: pondus meum, amor meus; eò feror, quocunque feror. S. August. Confess. l. 13. c. 9.

Nihil est ordinatum, quod non sit pulchrum. Id. l. de vera relig. c. 41.

Tantus ordo, tamque singularis dispositio, non ultrò hæc facta declarat; sed causam præcessisse significat, per quam tanti operis Principem, & Creatorem Deum esse datur intelligi. S. Athanas. Alex. de Incarnat. Verbi.

Quod si in rebus Mundanis res decora est ordo, atque scientia; multò perfectio magis eam observari convenit in rebus magnis, atque cœlestibus. S. Gregor. Nyls. de Christi Resurr. or. 3.

Ordo, si ulla in re, in Religionis cultu ma-

ximè est necessarius. Ex principiis ad veritatem progredimur: qui enim, neglectis initijs, jucundiora præripiunt, ad ea redire coguntur necessariò, & ordinis rationem sequi. S. Nilus lib. Ascet.

Unio ritè fundata in exacta rerum distinctione facit ordinem; ordo convenientiam, & proportionem: hæc autem in rebus, suâ integritate, & perfectione constantibus, eximiam pariunt pulchritudinem. S. Franc. Salef. tr. de am. Deil. l. c. 1.

Nihil absque ordine alicubi pulchrum est, nihil placens, nihil stabile. Gerson in Cant.

Ordo Communitatum debet esse sicut situs chordarum in cithara: ubi requiritur, ut qualibet chorda locum suum teneat, ut melodia sit bona, mediæ in medio &c. Sic in Communitate inferior in obediendo, illi in consulendo, isti in regendo. Broymard. Ordo Communit.

## TITULUS XII.

### OS.

**S**i separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris. Jerem. 15. 19. Est os quasi lyra animata; in qua dentes sunt quasi chordæ; lingua plectrum. Cornelius hic.

Et aperiens os suum. Matth. 5. 2. Quare additum est aperiens? videtur, quòd superfluat. Minimè: docuit enim, etiam non aperiendo os suum. Quomodo? per vitam, & miracula: nunc autem aperiens os docet. Theophylactus hic. Perdoctè dictum est, aperiens os suum: ad distinctionem faciendam: quia in veteri Lege aperuerat ora Prophetarum. Et ut nulla excusatio valeret hominibus; cum Dei Filius eisdem in Humanitate more hominum loqueretur. Sim. Cals. l. 10. c. 3. Aperiens &c. id est, per seipsum, & in propria persona loquens, legemque tradens; qui olim per Angelos, & Prophetas, loquebatur; & per Moysen legem proposuit. Dion. Carth. hic.

Januam tuam disce temporibus obserare nocturnis: non facile quisquam patentem reperiat. Sponsus ipse vult clausam esse, cum pulsat. Janua nostra os nostrum est. Christo propemodum soli debet aperiri. S. Ambros. lib. 3. de Virgin.

Quid est os hominis, nisi quoddam sermōnis aclytum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis. S. Ambros. hex. l. 6. c. 9.

Mens, sicut os, habere debet duo labia, id est, duas affectiones: unam, quâ desiderat cœlestia; etiam, quâ contemnit omnia terrena. l. 4. revel. S. Brig.

c. 82. Verba Christi.